DVPLATIO est species multiplicationis, MEDIATIO diuisionis, igitur sub illis compræhenduntur.

MVLTIPLICATIO.

MVLTIPLICATIO, est numeri productio, proporcionabiliter se habens ad multiplicandum, sicut multiplicans ad vnitatem. In ea numerum subscribe numero, vt visum est. Deinde duc primam multiplicantis in omnes figuras multiplicandi, scribendo pductum ex prima figura directe infra virgulam sub prima figura, Productum secundæ sub secundam. Deinde secundam multiplicantis similiter duc in omnes figuras multiplicandi, ponendo productum ex prima figura infra virgulã siue lineam ductam, sub illa figura cum qua incipis operari, & productum ex secunda figura subsequenti pone figura, & sic consequenter. Si alicubi duæ figuræ euenerint, operare vt in additione ostensum est. Expeditis omnibus